

duo Testamenta, et, per duos hos filios, duos populos : populum nempe christianum et gentem Judaicam.

b) Est *tropologicus*, quando refertur ad mores. Sic, v. g. illud Deuteronomii (xxv, 3) : *non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, teste Apostolo (I Cor., ix, 9), mystice significat non esse prohibendum praedicatoribus quin victum accipiant a populo.

c) Est *anagogicus*, quando refertur ad vitam aeternam. Sic, v. g. quod Deus dicit in Ps. xciv, 11 : *Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, litteraliter spectat terram promissionis ; sed, ex Apostolo (Hebr., iv, 3), spiritualiter significat coelestem beatitudinem.

Sensus *accommodatitius*, ille est qui non est vere sensus Scripturae, seu textibus sacris inhaerens, sed quem aliquis ei tribuit, non tamen arbitrarie, bene vero, propter quamdam convenientiam, ab usurpante deprehensam, inter rem per verba Scripturae significatam, et aliam cui haec verba applicat ; v. g. si quis haec verba Pharaonis : *Ite ad Joseph* (Gen., xl, 55), adhiberet, quasi dicta a Deo hominibus, ut in suis necessitatibus ad sancti Joseph, B. Mariae sponsi, patrocinium fiducialiter recurrant. Ille sensus est in frequenti usu apud oratores sacros.

QUAESTIO VI^a

Qualis esse possit ac debeat sacrae Scripturae usus in disquisitionibus theologicis?

(Vide Vigouroux : *Manuel biblique*, t. I, n° 170... 178.)

19. Resp. Regulae ad praefatum usum traditae,

aliae respiciunt Scripturam ipsam, aliae Scripturae sensum.

I. REGULAE CIRCA SCRIPTURAM ADHIBENDAM

I. Quonam Libro utendum?

1° Evidenter non nisi Libro sacro, seu, in canone Scripturarum inserto ; secus, de inspiratione non constaret.

2° Insuper, editio Libri sit authentica ; secus, ejus conformitas cum scripto auctoris sacri in dubium vocaretur, et argumentum nutaret.

3° Sola versio Vulgata habet, ut diximus, ex judicio solemnem et infallibilem Ecclesiae, authenticam, quae se extendit ad omnes et singulos textus simpliciter dogmaticos. Hoc tamen non obstat quin recurratur ad textus graecos et hebraicos, imo et ad alias versiones, quarum authenticitas critica et historice satis probaretur. At, comparatione facta inter duas editiones aut versiones, si omnia sint paria, praevaleat lectio editionis Vulgatae. Insuper, inter duas lectiones, quarum una est ambigua, et alia clarior, standum est pro clariori, etiamsi extra Vulgatam reperiatur. Demum, nunquam licet admittere lectionem cujus sensus contradiceret auctoritati Ecclesiae, aut unanimi consensui Patrum.

20. II. Quibusnam textibus utendum?

Sane unicus textus vere inspiratus subministrat argumentum irrefragabile. At, non omnis textus, etiam ex Libro canonico desumptus, tanquam inspiratus habendus est : ille, videlicet, quo scriptor sacer aliquid historice refert, ut ab alio dictum. Haec equidem narratio historica Deo inspirante facta est, ac

proinde habet semper veritatem historicam divina auctoritate fundatam; at verba ipsa sic narrata, saepe non fuerunt prolata ex inspiratione; cujus exemplum habes in verbis caeci nati: *Scimus quia Deus peccatores non audit.* (Joan. ix, 31.)

Ut autem cognoscatur an hujusmodi verba fuerint divinitus dicta, attendendum est primum ad auctoritatem illius cujus sunt. Unde si referatur aliquid dictum a Deo, aut a prophetis, aut ab alio auctore inspirato, nullum esse potest dubium de inspiratione. Casu autem quo narratur aliquid dictum ab homine, de cujus loquentis inspiratione aliunde non constat, constare tamen potest ex modo quo refertur: quoties, nimirum, ab auctore sacro narrante approbatur; quia tunc illud verbum, Deo inspirante, refertur ut verum. Idem, a fortiori, dicendum, ubi certa verba narrantur veluti habentia auctoritatem verborum Scripturae sacrae; sic, v. g. B. Paulus (Gal. iv, 30) memorat uti vocem Scripturae ipsius, verbum Sarae ad Abraham: *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus; non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae* (Gen. xxi, 10). Fatendum est tamen praefatam discretionem in praxi non esse semper obviam.

II. REGULAE CIRCA SCRIPTURAE SENSUM

21. I. Ex quo sensu argumentari liceat?

a) Ex sensu *accommodatio* nunquam sumitur argumentum, quia ille sensus est potius usurpantis eum quam ipsius Scripturae.

b) Ex sensu *litterali* semper valet argumentum, quia est proprie sensus Scripturae. — Inter doctores

disputatur, an in uno eodemque textu dari possint plures sensus litterales. Quam controversiam remittimus ad auctores qui, ex professo, de sacris Litteris tractant. Quidquid sit, semper adest unus saltem sensus litteralis praecipuus, necessarioque admittendus, ex quo argumentari licet. At, si quis alium sensum litteralem, praeter principalem, vellet in defendendis dogmatibus adhibere, argumentum non esset certi valoris, propter controversiam; sed valeret tanquam argumentum *ad hominem*, contra eos qui hunc sensum admittunt.

c) Ex sensu *mystico* etiam desumi potest probatio, quia est a Spiritu sancto intentus. Sed requiritur ut de illo constet, vel ex Scriptura ipsa, vel ex interpretatione Ecclesiae, vel ex unanimi Patrum consensu.

22. II. Qua ratione determinari possit sensus Scripturae?

a) Verba Scripturae intelligenda sunt sensu litterali proprio, non autem metaphorico, nisi necessitas cogat ea sumere metaphorice. Necessitas autem ad id cogit, quoties sensus litteralis proprius aliquid absurdum, aut contra bonos mores, aut contra fidem induceret. Talia sunt verba quae Deo humana membra tribuere videntur, aut ea quibus jubet Christus manum, pedem, aut oculum, quibus scandalizaremur, a nobis projicere.

b) Ad sensum verum assequendum faciunt leges hermeneuticae a doctoribus propositae, et quas hic explanare longius foret, nempe: consuetum loquendi apud homines usum interrogare; vim verborum, contextum, scopum auctoris perpendere; consule